



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explicatio Symboli Illvstrissimo Viro D. D. Clavdio Peleterio Prætori Urbano, Et Ædilibvs Oblati Pro expeditione Batavica**

**Santeul, Jean de**

**[S.l.], 1673**

Explicatio Symboli Illvstrissimo Viro D. D. Clavdio Peleterio Praetori Urbano, Et Aedilibvs Oblati Pro expeditione Batavica. Calend. Janu. Ann. M. DC. LXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13490**



EXPLICATIO SYMBOLI  
ILLVSTRISSIMO VIRO D. D.  
CLAUDIO PELETERIO  
PRÆTORI VRBANO,  
ET ÆDILIBVS  
OBLATI

Pro expeditione Batavica.

*Calend. Ianu. Ann. M. DC. LXXIII.*

**V**IDERAT Herculeos, Heroum exempla, labores  
Bellator LODOÏCVS, & alto pectore versans  
Grandia facta, tot exuvias, tot monstra, tot hostes,  
Tot gentes domitas, percussus imagine rerum  
Tantarum, tacitè ingemuit: nec conscia virtus  
Desperat tantos etiam superare triumphos.  
Quærit vbique, acri laudum inflammatus amore,  
Quos hostes, quæ monstra domet, quibus exerat ausis  
Virtutem, & patrio nomen transmittat Olympo.  
Sed nemo contra, positis sibi providus armis  
Hostis vbique fileat, vix fas mussare latendo.  
Quid faciat? Pudor est longæ terere otia pacis,  
Subdere qui possit factis ingentibus orbem.  
Acriùs incenso minimum est stravisse tot vrbes:

Longè alios animi exuperans affectat honores.  
Et licèt ad primos nuper Leo Belgicus ictus  
Corruerit, Scaldis refugo trepidaverit alveo,  
Sequanus indomitas patefecerit obvius arces:  
Non tamen illa placent inhonori præmia belli.

Iam novus Heroem poscit labor: impia dudum  
Gens, sceptris inimica, jugumque exosa, superbos  
Vilibus opprobriis Regum calcabat honores,  
Et gazis populorum, & vano turgida fastu.  
Audiit hæc L O D O Ï C V S, & impiger arma capeffens  
Invisam Superis ardet rescindere gentem.  
Dant animos primæ præclara exorsa juventæ,  
Liligerisque addicta comes victoria signis.  
Iamque volant turmæ celeres, jam Gallica castra  
Hostili exultant campo, fragor vndique Martis,  
Vndique bellorum strepitus, volat hostis imago  
Ante oculos, & non dubii spes læta triumphi.  
Interea Batavas subitus timor occupat vrbes,  
Vltor adest: miseros agitat discordia cives.  
Iam redeunt ventosæ animo convicia linguæ,  
Et Reges vanè irrifi; quàm rumpere vellent  
Conjurata odia, & se se subducere bello!  
Fata obstant Victoris: amat nam vindice ferro  
Per populos late victricem extendere famam,  
Et jus sceptrorum, majestatemque tueri.  
Quòd populi septem jurarint fœdera, sumit

Inde animos omenque, novam novus occupat Hydram  
Alcides, placet hac sub imagine vincere monstrum.

Senserat hoc Rhenus Pater, & sub fronte bicorni  
Vana tumens, inversâ horrendum immugiit urnâ.  
Anxius orat opem, nec jam securus in antro  
Cognatos amnes, cognataque flumina cogit.  
Sed mora nulla, equites medios irrumpere fluctus,  
Luctari in fluvium, hostilemque invadere ripam.  
Aspiceres fluvio impositas equitare phalanges,  
Fatiferosque enses & ferrea tela per vndas.  
Naiades obstupere; gemit sub pondere flumen  
Nequicquam excutiens dominantem fluctibus hostem.  
Gallicus Alcides victo tandem imminet Amni,  
Littus in adversum tendens, frænatque premendo  
Indomitos magno quondam sub Cæsare fluctus.  
At vinci impatiens & fractus cornua Rhenus  
Cedit, & attonitis *Truncum caput abdidit vndis.*

